

Stephanus Galdeti

*Quod voluntas nostra non tenetur
velle quidquid scit Deum velle ipsam
velle de efficacia voluntatis Dei*

Editor: Alexandra Baneu

work in progress
22.07.2024

Manuscripts:

P1 Paris, BnF lat. 16408

Project NOTA-ERC

|| **Quod voluntas nostra non tenetur velle quidquid scit Deum velle ipsam velle de efficacia voluntatis Dei** P1 6v

Bernardista

De conformitate voluntatis nostre ad divinam posuit Bernardista
5 talem conclusionem quod quilibet creatura rationalis tenetur velle
quidquid scit Deum velle ipsam velle.

Contra primo et principaliter sic: Deus non vult voluntatem meam
velle nisi quod ipsa de facto vult, igitur ex conclusione voluntas nostra
tenetur velle quidquid vult. Consequens falsum, nam ad opposita multa
10 que volumus tenemur. Assumptum probatur, nam si detur oppositum
quod voluntas divina velit voluntatem meam velle aliud quam vult,
tunc voluntas divina esset impedibilis nec esset verum quod in *Psalm*
scribitur *omnia quecumque voluit fecit*, etiam si non vellet voluntatem
meam velle aliquid quod ipsa vult aliquid fieret vel esset Deo nolente
15 illud esse idem fieri, puta volutio alica create voluntatis.

Secundo contra dictam conclusionem, quia ibi ponitur quidquid sit
Deum velle ipsam velle. Contra: nullus scit nec scire potest quid Deus
vult nos velle, igitur nullus tenetur ad aliquid volendum quod Deus
vult illum velle vel illius voluntatis velle. Consequentia ex conclusione.
20 Assumptum patet per illud *ad Romanos* 8 *O, altitudo divitiarum
quam incomprehensibilia sunt! Quis enim novit sensum Domini aut quis
conciliarius eius fuit?* etc.

Tertio ad idem, nam ad premissam conclusionem sequitur quod
quilibet teneretur ad concilia, puta ad eligendum virginitatem, privativo
25 modo. Consequens falsum et contra Apostolum 1 *Ad Corinthios* 7.
Consequentia tenet, nam quilibet creatura rationalis scit vel scire debet
Deum velle nos velle quidquid nobis consiliatur velle, aliter eius concilium
foret fictum et deceptorium. Et confirmatur, nam Apostolus ubi supra,
qui habebat voluntatem conformem voluntati divine, sic volebat dicendo
30 *vellem omnes esse sicut ego sum*, puta virgines, igitur Deus hoc vult
nos velle et tenemur adhuc.

Quarto, si conclusio foret vera, tunc alica creatura obligaretur ad

1–2 quod voluntas — Dei] *in marg. sup. P1* 2 Deum velle] *sup. lin. P1*
3 Bernardista] *in marg. P1* 8 nostra] *verum add. sed del. P1*
15 voluntatis] *isti rationi respondebo distincte de voluntate multiplicati add. sed del. P1* 23 idem] *de conciliis add. in marg. P1* 24 privativo] *dub. P1*
31 et] *per consequens add. sed del. P1* 32 quarto] *de prima add. in marg. P1*

volendum elective impossibile. Consequens videtur notabile. || Ad quid enim vellet creatura rationalis sibi impossibile frustra et sine ratione, cum illud non possit ponere in esse propter quod Philosophus ait volutatem posse esse impossibilium, electionem vero non, quia debet esse cum
 5 ratione vera vel aparenti tantum possibilium vel aparentium possibilium. Et consequentia videtur nota, nam quilibet talis creatura scit quod Deus vult eam penitere de peccato comisso, et per consequens vult ipsam velle tale peccatum fuisse et velle numquam fuisse, sed illud est impossibile.

10 Quinto ostenditur quod creatura non solum tenetur velle quidquid scit Deum velle ipsam velle, ymo quidquid Deus vult. Sic quilibet creatura rationalis tenetur velle quecumque Deo volente sunt esse et quecumque Deo nolente non sunt non esse, potissime si hec sufficienter sciat, igitur consequentia satis videtur clara. Antecedens aparet saltem
 15 de creatura humana. Hoc reperitur in *Evangelio* in oratione dominica, ubi precipitur: *Sic autem orabitis Pater noster etc. Fiat voluntas tua.* Antecedens tamen illud potest probari per rationem, nam quecumque Deo volente sunt, iustum est esse et solum illa, et quecumque non sunt, iustum est non esse et solum illa.

20 Ad primam istorum et secundam.

Ad primam declinat assumptum. Ad probationem dicit quod ex hoc non sequitur quod voluntas Dei esset impedibils, nec obstat verbum Psalmiste quod universaliter sumptum prima fronte videtur falsum, nam Deus vult se ipsum nec tamen facit se. Et cum omnibus istis stat quod
 25 nulla volutio sit quam Deus non velit esse vel fieri.

Ad secundam quod non possumus scire quid Deus vult nos velle declinat loquendo de voluntate signi. Nos enim bene possumus scire et scimus quid Deus precipit nobis: ipsum diligere et proximum.

Contra ista primo, cum negatur istud assumptum 'Deus non vult voluntatem meam velle nisi quod ipsa vult de facto', si istud assumptum sit falsum, tunc hoc ostendit propter alteram istarum causarum, vel quia Deus vult ipsam velle omne quod vult et istam causam negationis assumpti non videtur ponere.

Cum dicas in fine responsionis cum dictis suis stare quod nulla volutio fit quam Deus non velit vel quia Deus vult ipsam velle aliquid quod ipsa de facto non vult, et istam causam videtur innuere responsionem. Et quia ista causa in uno sensu posset habere bonum intellectum et verum, videlicet quod Deus vult voluntatem nostram velle aliquid pro tempore

2 sibi] *sup. lin. P1* 21 ad primam] *responsio add. in marg. P1* 29 contra] *repplicatio add. in marg. P1*

futuro quod ipsa nunc non vult, et istud non esset ad propositum, ideo
 resumitur illud assumptum in alia forma: Deus non vult voluntatem
 nostram velle nunc et pro nunc nisi quod ipsa nunc de facto vult, igitur
 talis voluntas non tenetur velle nunc et pro nunc nisi quod ipsa nunc et
 5 pro nunc de facto vult. Vel saltem sequitur istud consequens quod ipsa
 voluntas tenetur velle quidquid ipsa nunc de facto vult. Quod consequens
 falsum est, ut tangebatur. Assumptum vero nunc resumptum apparet,
 nam aliter sequeretur evidenter voluntatem Dei non esse efficacem, si
 ipsa vellet me velle nunc aliquid et id non vellem. Patet, quia vellet
 10 aliquid esse quod non esset, quia vellet in me esse volutionem respectu
 alicuius que esset possibilis esse in me respectu illius nec tamen poneretur
 || .

P1 7v

Confirmatur, quia ad aliquam voluntatem velle aliquid esse et illud
 non esse pro tunc sequitur vel illam voluntatem esse remissam et
 15 imperfectam in volendo vel non esse potestatem adhuc ponendum in
 esse. Patet per inductionem in nobis, in Deo autem utraque videtur esse
 inconueniens.

Confirmatur tertio per actoritatem allegatam, nam quecumque voluit
 fecit que, licet non sit vera generaliter, sicut nec ista ‘celum tegit omnia’
 20 nec ista ‘Deus diligitur super omnia’, quia non super se, tamen vera est
 de factibilibus, unde quecumque factibilia voluit Deus fieri facta sunt,
 Deum autem esse non est factibile. Similliter ista instantia non est ad
 propositum, nam optime sequeretur: Deus vult Deum esse et Deus non
 est, igitur voluntas Dei est impedibilis vel non est efficax. A simili in
 25 nostro proposito: Deus vult me velle aliquid et illud non volo, igitur
 talis voluntas non est efficax vel est impedibilis.

Preterea, ex uno concesso suo, nam dicit cum omnibus dictis suis
 stare quod nulla volutio fit quam Deus non velit, igitur nichil vult
 voluntas creata quin Deus velit ipsam illud velle, cum idem sit Deum
 30 velle volutionem meam respectu A et me velle A, si igitur quidquid volo
 me vult Deus velle, et hoc bene scio, igitur teneor velle quidquid volo
 iuxta conclusionem. Hoc autem est unum consequens quod a principio
 inferebatur.

Contra secundam responsionem, nam illa non respondet de voluntate
 35 beneplaciti, unde ex instantia saltem concluditur quod nullus tenetur se

4 nisi] *sup. lin. P1* 11 poneretur] de voluntate signi infinita *add. in*
marg. sup. P1 23 nam] se *add. sed del. P1* 30 meam] *sup. lin. P1*
 32 conclusionem] de voluntate signi etiam infra *add. in marg. P1* conclusionem]
 ad illud respondetur infra *add. in marg. P1*

conformare voluntati Dei beneplaciti, cum ipsam quisque ignoret, iuxta illud *O, altitudo!*

Secundo contra ulteriorem responsionem, cum dicit quod bene scimus quid Deus vult nos velle voluntate signi, scilicet precepti, *preceptum enim nobis est* etc. Primo hoc non scitur, sed tantum fide creditur. Et creditur potissime quod Deus hoc precepit, nam et *Evangelium*, ubi illud preceptum continetur sola fide credimus.

Secundo, quia licet esset scitum illud esse preceptum, tamen sensus et expositio illius precepti et eius intellectus non est scitus nec gradus dilectionis, scilicet an sume an supra nos, similiter nec modus est scitus, scilicet quomodo tota mente, quia illud a multis multipliciter exponitur et istud sufficeret quod non teneremur illud preceptum temporale in alico sensu nobis non evidenti.

Tertio, etiam quia iuxta multa sunt precepta nobis que non est evidens fuisse a Deo, puta de ieiunio quadragesimali et similibus preceptis Ecclesie que a Deo esse nesciuntur, quamvis pia fide credantur, et sic ad illa non tenemur. Saltem ex conclusione.

Ulterius magis ad propositum iuxta conclusionem suam arguitur: voluntas precepti non est voluntas alico modo vel, ut melius loquatur, preceptum Dei non est volutio Dei, vel preceptum a Deo non est eo ipso volutum. Probatur, nam preceptum Dei precipitur et datur prescitis sicut predestinatis, et tamen Deus non vult illos salubriter implere, iuxta illud *excecavi eos ne quando convertantur et sanem eos* et illud *cuius vult miseretur et quem vult indurat*. Alias si tale preceptum esset volutum || a Deo, duo contradictoria essent a Deo volita, nam per positum unum vult, quia precepit aliud, quia de facto ponitur in esse, et sic esset duplex Deus ipse in volendo, quod non convenit, nec per consequens est sibi possibile.

P1 8r

Ad idem ista consequentia nichil valet: Deus precipit Sorti facere A, igitur vult Sortem facere A. Patet, nam similis per omnia non valuit de Abraham etc.

Item, non implicat contradictionem aliquam Deum illud quod nullo modo vult esse aut fieri preciperetur esse vel fieri, quia nec sequitur Deum esse mendacem, cum propositio imperativa nec fit vera nec falsa, nec aliquid aliud claudens contradictionem. Sequitur: si igitur illud non claudit contradictionem et est ad extra Deum agere, est Deo possibile. Et tunc illo dato ista consequentia nichil valet: Deus precipit Sorti facere A, igitur vult Sortem facere A, et sic non est consequentia scibilis.

15 ieiunio] quadragesimali et *add. sed del. P1*

Similiter ad istam materiam posset argui de angelo sathane transfigurato in angelum lucis precipiente aliquid alicui. Nam non est isti evidens an illud preceptum sit a Deo nec maiorem evidentiam de suo precepto habet unus alter, quia precipit angelus lucis per omnia
 5 exteriorius similis, igitur pariter nescit uterque id sibi fore preceptum a Deo.

Similiter cum causata apparentia posset saltem de Dei potentia et permissione venire Antichristus ut Christus venit et dare precepta, et tunc non minor scientia foret de preceptis eius an forent a Deo quam
 10 de preceptis Christi aut econtra.

Respondet ad ultimum obiectum contra primam responsionem dicendo quod non est idem Deum velle volutionem A et Deum velle me velle A. Ad illud de improbatione illius de istis de concupiscenti voluntatem signi dicit se non curare de proprietate voluntatis Domini,
 15 modo sequitur modum loquendi usitatur doctis.

Contra: non evadit difficultes, nam quamvis iste pater dicat in casu istam consequentiam non valere ‘Deus vult volutionem Sortis respectu A, igitur vult Sortem velle A’, tamen in casu quo velle foret unum valde bonum, scilicet opus concilii, ut velle virginitatem vel huiusmodi, non est
 20 dubium quod Deus vult Sortem velle A, adhuc secundum eum duplici voluntatis, beneplaciti et signi, quia concilii, et hoc bene scit Sortem vel scire debet, igitur tenetur velle A. Consequens est contra Appostolum 1 Ad. Cor. 7 *si nubat, virgo non peccat*. Oportet igitur aliter ad rationem, ut videtur.

Secundo contra responsionem probatur consequens illius consequentie fore verum, scilicet quod nichil vult voluntas nostra quin Deus velit nos velle illud. Quo consequente habito, quamvis non sequeretur ex antecedente, quod tamen sequi ostenditur sic: Deus facit Sortem velle A, igitur Deus vult Sortem velle A, et sic de B et C et quocumque
 30 alio quod Sortem vult. Consequentia ista tenet pro tanto, quia adhuc posito vel dato, quod tamen non est bene probabile, quod Deum facere aliquid sit aliud quam velle illud et potentia executiva sit alia quovis modo a volitiva, modo ut aliqui posuerunt et iste pater videtur ponere cum instavit ‘Deus vult Deum esse, et tamen non facit actum’ non est
 35 dubium quin quidquid Deus facit positive ad extra volens id facit, quod sufficit ad illam consequentiam.

Et antecedens eius probatur tripliciter, || scilicet quod Deus facit Sortem velle A. Et sic de quocumque quod Sortes vult sic arguendo

P1 8v

11 respondet | responsio add. in marg. P1

15 doctis | dub. P1

Sortem velle A est per articulum magistrorum dicentium esse errorem dicere quod significabile complexe nichil est et Sortem velle non est creator, igitur creatura, igitur est a Deo conservante vel producente, si noviter fiat.

5 Secundo, quia Sortem velle A fit noviter nec fuit ab eterno, igitur ab alico incipit esse, igitur a Deo incipit esse, cum nulla causa secunda sine prima sufficiat agere.

Tertio, quia Sortem velle A aut quodlibet aliud nichil addendo, puta nullam circumstantiam malam aut carentiam bone, est unum pure
10 positum nullam deformitatem includens, igitur est a Deo per communem concessum doctorum tenentium Sortis casum deformitatis esse a Deo, non ipsam deformitatem. Ymo quod plus est nullum tale velle sive A sive B sive cuiuscumque alterius nichil plus addendo imponat vel includit malitiam, ymo est bonum et licitum, ut videtur, nam et Deus omnia
15 que sunt vult, cum bona sint, iuxta illud *vidit Deus cuncta que fecerat et erant valde bona*, et per consequens velle esse que sunt vel velle que sunt absolute nichil plus addendo non est malum. Et magis expressa actoritas est illa liber *Sapientie diligis omnia et nichil odisti eorum que fecisti*. Et sic, ut videtur, nos possumus omnem entitatem diligere,
20 ut videtur, non addendo aliud. Confirmatur, quia non est aliquod velle, ut videtur, rei existenti quin possit bene fieri, puta velle rem proximi sui bene fit quandoque, puta in Egiptus. Et adhuc supposito, quod aliquod tale velle foret malum, non habetur quin Deus possit velle illud velle et quin sit causa illius velle, unde multorum male velle alicorum
25 oppositorum illicitorum Deum fore causam commemorat Apostolus *Ad Rom. 1 tradidit illos etc. repletos invidia*. Ista sufficiant ad probandum consequens consequentie negare, unde etsi non probaretur consequentia, sufficit aliunde probare consequens quo sibi probato, scilicet quod Deus velit me velle A et B et alia que volo redit ratio, scilicet quod si hec
30 scientia vel scire debeam quod teneor velle illa, ex conclusione sua.

Consequentiam autem probo sibi sic, scilicet quod sequatur ‘Deus vult volutionem Sortis respectu A, igitur vult Sortem velle A’. Primo, quia sequitur ‘Deus vult volutionem Sortis respectu A, igitur vult volutionem Sortis esse ipsius A ut oppositi, igitur vult Sortem velle
35 A’. Cum ista instantia non esset multum efficax, contra ipsam, nam ipse in dicto super quod fundatur argumentum non plus dicit nisi quod nulla est volutio in voluntate quin Deus velit illam vel quam Deus non velit in arguendo, tamen replicando contra ipsum fuerat positum

1 est] ar *add. sed del. P1*
25 oppositorum] *dub. P1*

2 nichil est] et a ve *add. sed del. P1*
33 igitur] vobis *add. sed del. P1*

in consequentia quam negat per antecedentem vel in probatione pro antecedente, ita quod idem est velle volutionem Sortis respectu A et velle Sortem velle A. Hoc probatur sibi quod tamen negat Deum velle volutionem Sortis respectu A non est pars eius quod est Deum velle Sortem velle A. Et unum implicat || contradictionem esse sine alio, igitur sunt totaliter idem.

P1 9r

Assumptum primum patet, quia nulla res ymaginari potest in Deum velle Sortem velle A que non sit in hoc quod dicitur Deum velle volutionem Sortis respectu A vel ipsius A, quia nec Deus nec volutio Dei nec Sortes nec volutio sua nec habitudo volutionis ad suum oppositum, igitur non est pars, cum esse totum contineat plusquam alica eius pars.

Secundum assumptum patet, nam ista implicant ‘volutio Sortis respectu A est’ et ‘Sortes non vult A’, nam si non vult A, iam non est volutio in ipso respectu A. Et si ista implicant, igitur eodem addito uterbique implicant, scilicet Deum velle etc. vel dimittendo velle A. Ex concesso suo posset argui absolute ‘Deus vult volutionem Sortis, igitur vult Sortem velle, et non aliud quam vult’, quia per istam volutionem quam Deus per positum vult non potest Sortem velle naturaliter aliquod aliud oppositum, igitur si non aliud ab A, igitur vult Deus Sortem velle A, quia aliter Deus irrationabiliter vellet si vellet Sortem velle et nec A nec aliud, quia hoc non est possibile Sorti per naturam. Et ex hoc sequeretur ad principale.

Contra respondentem: Deus vult Sortem velle et nichil vult Sortem velle, igitur Sortes tenetur velle et nichil velle, igitur tenetur ad impossibile sine culpa sua.

Contra secundam responsionem de voluntate signi dicit namque quod non ovat de proprietate vocis curandum, tamen esset ubi posset observari. Allegat usum doctorum. Non assignat causam quare sic dicunt quod tamen deberet facere, cum non liceat loqui utlibet sine ratione et omnis improprietas loquendi debet habere motivum rationabile excusans ipsam.

Uterius glosat preceptum esse voluntatem signi, id est esse signum divine voluntatis. Contra, quia vel preceptum divinum est signum voluntatis Dei respectu eius quod precipitur, et hoc fuit improbatum de Abraham, vel respectu alterius, et tunc est falsum signum. Nam si precipio Sorti facere A, huiusmodi preceptum prius et principalius significat me velle Sortem facere A quam aliquid aliud, ymo, ut videtur, nichil aliud. Et, si non velim Sortem facere A, fecte et false significat, ut videtur.

Item, si est signum alicuius alterius quam eius quod precipitur et nos

hoc sciamus vel scire debeamus, debemus illud signatum velle et non id quod precipitur, ut videtur. Etiam iuxta hoc stat quedam difficultas dicta, videlicet quod nescimus quid Deus vult nos velle, nam nescimus cuius oppositi voluntatis Dei signum est ipsum preceptum, cum non sit
 5 eius cuius prima fronte apparet esse signum. Unde in hunc naturaliter videretur indicari preceptum magis esse signum improbabilius eius quod precipitur quam alterius, et tamen non sit, igitur non habemus scientiam vel evidentiam cuius est vel quid Deus nos velit velle per sua precepta, igitur non tenemur illis preceptis conformari.

10 Et conformiter, nam preceptum esse signum voluntatis sunt verba oppinabilia doctorum que non habent evidentiam, cum unus uno modo alter alio modo oppinetur, et idem diversimode a se ipso diversimode dispositus. Hec de hoc.

Ad primam negat istam consequentiam ‘Deus vult volutionem Sortis, igitur vult Sortem velle’.

Contra probatur sibi: sit A volutio Sortis || data de qua agimus, tunc sic Deus vult A volutionem Sortis, igitur vult A volutionem Sortis esse, tunc sic optima consequentia est ‘A volutio Sortis est, igitur Sortes vult per illam’.

P1 9v

20 Ex opposito enim consequentis infertur oppositum antecedentis, nam si nec Sortes nec aliquis alter velit per A non est A volutio. Et si Sortes non velit, per illam non est volutio Sortis. Et si consequentia est bona et necessaria, significatum consequentis est significatum antecedentis. Et per consequens idem est volutionem Sortis esse et Sortem velle, et
 25 tunc ultra eodem addito utrobique manebit idem, scilicet volutionem Sortis vel volutionem a Sorte respectu A esse et Sortem velle A. Si igitur ista idem significant et significata sunt idem si Deus vult unum vult reliquum, et remanet consequentia in vigore.

Confirmatur per dicta illius patris, nam ipse dicit quod per Deum velle volutionem alicam Sortis non intelligit nisi quod volutio absolute quantum ad omne id quod est positive est a Deo volita. Sed talem volutionem esse a Sorte, et esse respectu A, et Sortem velle per illam sunt quedam positiva pertinentia ad ipsam volutionem esse vel ad ipsam volutionem esse volutionem, igitur.

35 Item posset sibi argui inquirendo an Deus volens A volutionem per concessum suum velit ipsam esse volutionem. Et videtur quod sic, nam ipsam esse volutionem est positum. Et si sic, tunc argumentum erit

9 illis] p. c. P1
 p. c. P1

14 ad primam] responsio add. in marg. P1

35 volens]

bonum capiendo illud pro antecedente ‘Deus vult A volutionem esse volutionem, igitur aliquem velle per illam’. Idem de ista circumstantia Sortis vel vult ipsam esse Sortis vel non. Idem de illa circumstantia respectu A potest inquiri. Et sic, ut deducebatur, nec respondet, poterit
5 argui contra ipsum.

Ad secundum de voluntate signi respondet quod preceptum est signum voluntatis Dei respectu eius quod precipitur. Contra hoc, quia, si sic, cum non possit poni signum alicuius divine voluntatis rationabiliter nisi voluntas beneplaciti que principaliter et proprie dicitur voluntas,
10 ymo forte solum debet dici voluntas, et cum talis voluntas divini beneplaciti semper implicatur, ut catholici tradunt, sequitur quod quodlibet divinum preceptum semper implicatur. Consequens notorie falsum, igitur responsio falsa.

Uterius dicit supra non fuisse probatum Deum non velle prescitos implere precepta. Probatur sibi triplici medio. Capiatur Sortes reprobatus et prescitus propter defectum perseverantie implendi A preceptum divinum, tunc iste est reprobatus a Deo propter istum defectum. Et Deus vult istum carere beatitudine propter huius defectum, igitur vult huius defectum vel saltem non vult oppositum vel non voluit.
20 Nam notabiliter esset volitum, scilicet quod Deus vellet ista duo Sortem carere beatitudine, quia ipsum reprobatur, et tamen vellet cum hoc ipsum perseverare in via salutis ad quod tamen sequeretur ipsum debere habere beatitudinem et numquam fuisse reprobatum.

Secundo, et est magis ad propositum: preceptum est cuilibet habere caritatem sicut apparet in parabola de veste nuptiali, et tamen Deus illum quem indurat non vult habere caritatem, ymo vult ipsum ea carere iuxta id quod allegabatur *cuius vult miseretur et quem vult indurat*.

Item, omnibus preceptum est credere *Evangelio* iuxta illud *Marci* ultimo *qui non crediderit condemnabitur*, et tamen Deus non vult aliquos credere *Evangelio*. Patet in *Evangelio* de Tyro et Sydone, nam si in Tyro et Sydone Christus predicasset et fecisset virtutes, credidissent, et per consequens, cum Christus noluerit eis predicare, noluit eos credere. Et item id quod supra allegabatur *exceca cor populi huius ne quin convertatur et sanem eos*. De hoc GREGORIUS in materia
35 de causa reprobationis et Bredwardin et est consequens materia ad illam de necessitate divini auxilii contra Pelagium. Et universaliter non videtur Deum velle prescitos implere illa precepta per quorum transgressionem previsa sunt dampnari. Ista contra id dictum: nec id tenetur convenienter, scilicet quod preceptum sit signum voluntatis
40 Dei respectu eius quod precipitur, sed est signum voluntatis simplicis

complacentie divine voluntatis in iustitia vel bonitate que foret in
huiusmodi hominibus si implentur divina precepta. Ex quo ulterius cum
uno dicto suo et vero, ut puto, scilicet quod nullus scit an sit prescitus
vel predestinatus, sequitur quod nullus scit quod Deus velit eum velle, ut
5 supra deducebatur. Iste vero pater dicit per tales rationes non probari
nisi quod Deus non vult prescitos attingere finem pro quo data sunt
precepta. Et si non tenentur ad finem istum cui tenentur ad media
frustra, ut videtur, cum precepta non ordinentur nisi ad vitam eternam
iuxta id *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Cum igitur talis non
10 teneatur velle ingredi ad vitam nec tenetur ad servandum mandata.

8 nisi] *sup. lin. P1*